

Oratio anniversaria : in theatro Collegii Medicorum Londinensium: Decimo quinto calend. Novembris ex Harveii instituto, ad socios habita anno MDCCXXXIX / a Fr. Nicholls.

Contributors

Nicholls, Frank, 1699-1778

Publication/Creation

Londini : Impensis Tho. Woodward ..., 1740.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dfgr8t2u>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TRACT 3



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30780512_0002

O R A T I O
ANNIVERSARIA
IN THEATRO COLLEGII
MEDICORVM
LONDINENSIVM:

Decimo quinto calend. NOVEMBRIS

EX HARVEII instituto,

AD SOCIOS HABITA

ANNO MDCCXXXIX.

A FR. NICHOLLS M. D.



LONDINI,

Impensis THO. WOODWARD ad insigne Lunæ Crescentis inter Templi
Portas, Illusturissimæ Regiæ Societati Typographi. MDCCXL.

PRÆSIDI DIGNISSIMO
THOMÆ PELLET M.D.

ET

SOCIIS DOCTISSIMIS
Collegii Medicorum Lond.

HANC

ORATIONEM

ILLORVM IVSSV EDITAM

D. D. D.

Franc. Nicholls.

PRÆSIDI DIGNISSIMO

THOMAS BELLET M.D.

ET

SOCIIS DOCTISSIMIS

COLLEGIUM MEDICINUM LOND.

HANC

ORATIONEM

ILLORVM IVSSV EDITAM

HARVARD

D.D.

In hac oratione
transactis
commodis debent & vel
Franc. Nicholls



no de republica bene merentur, in hanc &
commodum omnium salutis publicæ operantur.
Cum enim salutis publicæ, ut, salutis
in mercedem nequeant, a bonis iudicibus
let



O R A T I O H A R V E I A N A.



B antiquis temporibus institutum est, ut, qui civium se commodis dederant, & vel mœnia construxerant, vel hostes devicerant, vel alio quovis modo de republicâ benè meruerant, ii statuis, & communi omnium plausu publicè ornarentur. Cum enim insitum virtuti sit, ut, aliam quamvis mercedem dedignata, a bonis laudari postulet

let, & exoptet, pietatis est, quorum beneficia aliundè remunerare nefas, eorum laudes gratâ commemoratione posteris conservare. Quin etiam aliorum res benè gestas commemorando quandam quasi normam nobis opponimus, ut, si quid a recto fortè deflexerit, conspectiùs illud indè innotescat; aut, si quâ inertîâ obstupescant vis nostra & virtus, ab aliorum laudibus ita accendamus, ut, quorum gloriam appetimus, eorum etiam facta gnavitèr imitemur.

CUM itaque in hâc nostrâ civitate multi extiterint præclari Viri, qui in populi salutem medicas artes feliciter excoluerunt; æquum HARVEIO nostro videbatur, ut annuâ, lætâ, piâ commemoratione eorum laudes in perpetuùm conservarentur; nec deessent, quæ posteros ad similes virtutes excitarent, antecessorum præconia.

HUIC hodiè muneri Præsidis jussu designatum multa me multa, Socii ornatissimi, distrahunt, & conturbant. Dum eximia illa medicæ artis lumina, LINACRUM, CAIUM, HARVEIUM, dum tantos eorum labores, tot beneficia, quibus genus humanum sibi devinxerunt,

erunt, contemplor, longè abest, ut, quos nudis oculis intueri vix licet, eos levi oratione ornandos credam. Vestræ profectò pietati, vestris legibus consultum satis existimem, si, quâ par est reverentiâ, quâ vos decet facundiâ, vestras gratias iis retulerim, quibus hujus ordinis vis & auctoritas maximè debentur. Absterrent autem aliorum exempla, qui ex his rostris suæ forsan famæ satis consuluisse, rei autem dignitatem parùm attigisse videantur. At, quicquid alii fecerint, mea diversa omninò est studiorum ratio: Cumque rebus investigandis & exponendis, non ornandis, operam diù dederim, deficit ingenii flumen & in dicendo verborum vis & copia; ut debitas iis gratias referam, & eorum laudes, ut velim ornatas, recitem, qui artem medicam civium conservatricem, hominibus utilem atque necessariam, coluerunt, & auxerunt.

At quid dixi? medicam artem civium conservatricem, hominibus necessariam esse atque utilem? Alia verò apud quosdam valet opinio; quibus sacra, profana, omnia, commiscere ac diruere lubido est. Numinis, aiunt, una eademque

demque est actio, creatio animalium atque conservatio: Cumque aliis omnibus animalibus abundè prospexerit Divinus Artifex, tot salutis præsidiis instruxerit, eâ partium harmoniâ eorum undique corpora disposuerit, & ordinaverit, ut ipsa per se sibi satis sufficerent, summæ suæ benevolentiae consentaneum nequaquam foret, ut homines præ cæteris animalibus vel per ægritudines miseros, vel per morbos suis officiis obeundis minùs idoneos, effingeret. Nul- lum, aiunt, nullum numen habes, sed te nos facimus, Medicina, deam, cæloque locamus.

Eò itaque (Socii ornatissimi) nostræ hujus Orationis argumentum convertam; si hoc (quantum fit) convicium refellerim, si medicinam præ aliis animalibus homini necessariam, si per vos utilem, indicaverim, nec nostro huic officio, nec vestræ dignitati, nec antecessorum gloriæ, defuero.

HABEANT autem adversarii nostri nos confitentes & suæ opinioni aliquatenus assentientes: ita tamen confitentes, ut nequid culpæ aut infamiae in nos, aut in nostram artem recidat. Non ea enim vestra est protervitas, ut, quam indiès
tacitè

tacitè contemplamini, quam ubique ducem sequimini, naturam non maximi æstimetis. Vestris sententiis, quantò quisque naturæ obsequentior, quantò ejus legibus obstrictior, tantò melior, tantò dignior, existimabitur, qui ægris præsit fidus minister. Si, ut cætera animalia, iis legibus, quas natura dedit, homines uterentur, pari profectò valetudine fruerentur; nec ea esset morborum vis & ferocia, ut vestris auxiliis ullo modo indigerent. At homini non eadem, quæ cæteris animalibus, salutis sunt præsidia: Quæ natura dedit, per ignaviam, per luxum abjecimus; cumque novos sibi vivendi modos homines effinxerint, cum per suas artes ægro-
tare didicerint, per vestras ut revalescant, necesse est.

OMNIS omnium animalium in eo ponitur falus, ut fluida habeant debitâ neutralitate temperata^a; ne, aut obvolutis nimium salibus in

^a DEBITA NEUTRALITATE TEMPERATA.] Ex chemicis abundè patet sani animalis salia ad aliquam neutralitatem temperari, quoniam neque ab admistis salibus (sive acidis sive alcalinis) ullam effer-

vescentiam indicant, nec syrupi ex violis confecti colorem mutant: hæc autem neutralitas in datâ quadam latitudine consistere videtur; quoniam ex animalibus alia citiùs, alia tardiùs, putrescunt.

B spissum

spiffum quiddam atque tenax ita coeat fanguis, ut defit ftimulus^b, qui fibrarum tonum motumque excitet, & confervet; aut, ne fluida nimium folvantur, & denudatis falibus corrodantur folida, quibus fanguis intra juftos limites coerceri & moveri debet. Quæ ad folida fpectat falus, in eo fita eft, ut æquabili ubique tono conflituantur; ut nec torpeant vires, quæ fanguinem coercere, & urgere valeant; nec, citius æquove vehementius fibræ in fpafmos & tenfiones irritentur.

IN omni interim animali infita quædam & innata eft fanguinis difpofitio, ut blandam, quam dixi, indolem fponte fuâ deponat, & vim induat alcalinam, putridam, facilè communicabilem, quæque corporis folida ftimulo fuo mirè

^b STIMVLVS.] Ad falutem animalis neceffarium videtur, ut folida corporis blando quodam neutrius falis ftimulo perpetuò irritentur. Hinc fanguinis fubtractio laxitatem corpori & debilitatem affert; ut quæ fanguinem inertem fæpè, & quafi vapidum, relinquit. Hinc puris evacuatio

vires derepentè labefactat; ut quæ irritationem, & quæ ab eâ nascitur corporis tenfionem, tollit. Hinc a nimia venere, aut narcoticorum ufu, robur corporis imminuitur; cum ab his fibrarum fenfibilitas & exinde falium vires aliquatenus hebetentur.

afficiat,

afficiat, & destruat. Si violentiùs agitetur, aut aliunde fortiùs incalescat, sanguis; tanto magis augetur maligna hæc & putrida dispositio. Si quiescat prorsùs, tantò magis vim suam expandit, & vicina quæque labe malâ inficit, & contaminat. Solidorum contrà vires & robur quàm variis de causis immutentur, quid victus, quid labor, quid animi motus possint, cuique perspectum satis est; cùm nihil in animos, nihil in sensus, incurrat, quod ora, oculos, totius corporis compagem non mirè aut intendat, aut relaxet.

Cùm ab omnibus his five fluidorum, five solidorum, mutationibus varii proveniant morbi; cùm earum aut nimiam durationem, aut excessum, mors sequatur; in lubrico & anticipi profectò poneretur animantium salus, nisi, ut conservaretur, prospexisset divinus artifex. At ille, ne citiùs fluida in corpore putrescerent, victum dedit acidæ plerùmque indolis; ne sanguis exindè tenax^c in arteriis

^c SANGVIS EXINDE TENAX.] Olea omnia ab admist- is acidis mirè coagulantur in substantiam vel mucosam, ut

subsisteret, ne in justam mediocritatem non subigeretur, eundem dedit motu corporis & exercitatione perquirendum: eundem ille in aperto aere collocavit, ut acido æthereo^d, quo abundè repletur, affatim reficeremur^e; in fri-

in saponis vulgaris solutione; vel in caseosam, ut in lacte coagulato; vel in adiposam, ut in oleis expressis; vel in resinosam, ut in oleis aromaticis. Hæc autem coagula ab admistis salibus alcalinis in fluidum statum denuò revocantur. Ex alumine & bile adipem confici Hombergius dudum docuit: in illo autem experimento observandum restat, substantiam quandam resinosam primò concrefcere ad ignem fusilem & in aquâ minimè solubilem; quæ verò in spiritu vini promptè solvitur, & terram albidam (forsàn aluminosam) exinde deponit. Ex residuo per aliquot menses sub calore solis digesto, & subindè agitato, conficitur substantia adiposa Hombergii. Quinetiam notandum est, omnia animalia, quantò magis sint putrescibilia, tantò fluidiorem pinguedinem præbere; ut in porcis, piscibus, & hominibus scorbuto laborantibus.

Illa contrà animalia, quæ putrescentiæ maximè resistunt, pinguedinem habent firmam solidamque; ut boves, oves, cervi.

^d ACIDO ÆTHEREO.] De nitro aereo summa olim erat inter physicos contentio. Recentiores autem chemici, rejecto planè nitro, acidum universale per atmosphæram copiosissimè diffundi, certis experimentis demonstrarunt; sc. ex aluminis alcalizati regeneratione, & salis alcalini neutralizatione, a solo aere afflante.

^e AFFATIM REFICEREMUR.] Ex signis putrescentis nimium sanguinis primum locum tenent debilitas, lassitudo, & spirituum oppressio; quæ mala non, nisi salibus per diaphoresin eliminatis, vel per adhibita acida subactis, tolluntur. Hinc recentiores medici acidum vitrioli in cardiacorum numerum felicissimè detulerunt.

gido

gido, ut perpetim imminueretur usque exsurgens corporis calor^f, qui sanguinem malignâ alioquî putredine brevî inficeret. Ut sensibus suæ etiam adsint blanditiæ, quæ solida tenfa nimis aliquatenus emollirent, oculis gratissimos dedit herbarum colores; naribus, ut suavissimè spirent flores; qui corpora foveret, solem; qui nimium ejus fervorem subindè averterent, arbores posuit. Ne animis etiam defint gaudia, suam cuique animali, non protervam, non subdolam, quin facilè parabilem, facilè sequacem, & amabilem, dedit femellam: dedit, ut suâ sobole delectaretur, nec amissam tamen, aut abreptam sibi, prolem anxîâ nimis sollicitudine lugeret. Voluit insuper, ut forte suâ contentum, quas natura tulerat, legibus obstringeretur; nec, quas na-

^f USQUE EXSVRGENS CORPORIS CALOR.] Si sub corporis calore septuaginta graduum (metiente thermometro) in vaporarium, cujus calor sit etiam septuaginta graduum, quis ingrediatur, corporis calor ad nonaginta gradus illicò affurget; si autem vaporarium

ad nonaginta gradus incalescat, corporis calor ad putridam dissolutionem brevi promovebitur. Hinc constat corporis calorem, qui alioquî perpetuò exsurgeret, ab aeris ambientis frigore ad vitam conservandam perpetuò reprimi, & temperari.

tura

tura non effinxerat, ipsi sibi curas effingeret. Hinc cæteris animantibus illibata salus; hinc integro illa & intaminato succo nutrita, nullis (aut raris) animi motibus perturbata, præfinitam ipsis senectutem placidè exspectant.

AT homini (cui ut suo arbitrio uteretur, dedit Deus) quàm dispar vivendi ratio! Pro victu, quem natura tenuem, simplicem, subacidum apposuit, ipse plenas, lautas, putridas, sibi parat dapes. Ne nimias non devoret, conquiruntur undique condimenta, quæ famem sitimque aut inducant, aut augeant. Ne sanguine & succis non oneretur, helluo otium quærit ventri paritèr & ignaviæ deditus. Ne non incalescat nimis, ne vehementiùs æquo non agitetur sanguis, liquidos arte malâ sibi prolicit ignes, quos ad insaniam usque, & in corporis perniciem ingerat. Ex animi motibus, quibus ineptior quisque indulget, quot quantæque hominum strages? Ex amore vel per superbiam represso, vel per avaritiam denegato, virginibus quot ægritudines? Ex soluto nimis, aut illicito, juvenibus quot

quot luctus? Quot ex irâ, invidiâ, metu, proveniant mala? quæ corporis œconomiam mirè pervertant, sanguinis distributionem & depurationem sistant, & sævissimis sæpè morbis vel viam præstruant, vel vires adferant. Inutilem igitur eam artem quis credat, quam ipse necessariam effecerat? Iniquè illorum aliquam dignitatem ferendam quis censeat, per quos, ut infanientis vel sapientiæ, vel ineptæ libidinis pœnas effugiat, non rarò conceditur?

PRISCIS olim temporibus, cum simplicissimo quisque modo vitam duceret, cum corpore neque luxu & inertia contaminato, nec animi contentionibus debilitato, frueretur, angustis finibus, quicquid erat medicinæ, tenebatur. Si vulnera casu inciderent, ut a frigore defenderentur, fatis erat; quæ defenderent, ex arboribus refinam, ex rupibus ceram ipsa obtulit natura. Si aeris intemperies plenior paulò, aut impuriorem, corporis habitum intulisset; aderant, qui alvum lenitèr subducerent, fructus & radices: aderat innata & vegeta solidorum vis, quæ aucto statim aut determi-

determinato nisi^g citatiorem sanguinis motum ultrò excitaret; hostemque, nullo interposito tumultu, subactum placidè foras ejiceret.

ITA profectò in civitate bene constitutâ virtus optimorum civium & prudentia efficiunt, ut, positis undique vigiliis & excubiis, perpetuò prospiciatur, ne quid detrimenti vel ab hoste, vel a malis civium moribus, capiat respublica; ut levissimis malis incipientibus providè occurratur; ne, auctis per moras viribus, hostes vel rempublicam funditùs evertant, vel non forent, nisi commotis omnibus rebus & perturbatis, opprimendi. In eâdem-intereâ civitate, si pervertantur civium mores, si magistratuum dignitas & auctoritas vel per luxum evilerint, vel per ignaviam obsoleverint, infimum quemque infestum penes erit, ut rempublicam mirè commoveat; & suis tandem viribus parùm tutam ad alienam opem & aliena consilia vacillantem & perterritam impellat. Nec dissimilis videtur animalis ratio,

^g AVCTO NISV.] Ut in febre ephemerâ.

^g DETERMINATO NISV.] Ut in catameniis, aliisque hæmorrhagiis salutaribus.

dum nec vigeat animus, nec valeant vires, dum pro sanguine debitè temperato mille alat salium monstra, si ad vestram opem, & vestra auxilia, timidè confugiat. Vestræ est Pietatis abditas horum malorum causas perquirere & investigare, investigatas amovere. Si vires deficiant, vestrûm est depressas fovere, & erigere: Si nimix sanguinem acerbiùs agitent, vestrûm est nimiam earum dominationem aut refrænare, aut imminuere. Vestrûm denique est, quid sanguinis nobilioris proscriptio, quid plebei vel per alvum deductio, vel per sudores dissipatio, in commotâ & perturbatâ animalis republicâ possint, prospicere, & dijudicare.

Hoc quò melius efficeretur, primævæ gentes ægrorum visitationes, & templa Æsculapio instituere; ut, quod quisque sibi in quocunque morbo utile observaverat, in aliorum vel salutem, vel solamen, patefaceret. Hinc ex collatis undique morborum historiis ars Empirico-therapeutica paulatim succrevit: ars autèm quæ, cùm ex regulis constaret, quas suo modo quisque aut explicaret, aut distorqueret

ret, nec ægrorum spem nec vestram dignitatem fati sustinuit. Ex Græcis interea scholis multi exstiterunt præclari Viri, qui, ut empiricam artem in scientiam firmam stabilemque refingerent, non sine summâ laude tentarunt; cum vero debitis medicinæ principiis ex corporis œconomiâ deductis nequaquam uterentur, Diagnosticam licet & Prognosticam disciplinam quandòque adauxerint, Ætiologicæ tamèn & Therapeuticæ Medicinæ parùm attulisse videntur.

DISCUSSA tandem, quæ litteris, quæ scientiis diù incubuerat, altâ caligine, cum aliorum dogmata, ut ut recepta, ad incudem revocare pro jure suo quisque habuerit, extitit LINACRVS, qui sparsos undiquè in arte medicâ dignissimos quosque collegit, ut hanc etiam artem a nugis & fallaciis repurgarent, & pro populi salute junctis viribus & consiliis repurgatam promoverent: ut esset, quo convenirent, suas has (Apollini sacras) dedit ædes; ne deesset in posterum, easdem nobis in perpetuum testamento legavit. Ne nova hæc sua
respublica

respublica brevè dilaberetur, legibus eam munivit. Ne deesset dignitas, se omni litterarum genere ornatissimum, se, suis virtutibus & morum suavitate cuique hominum ordini charissimum, nobis Præsidem dedit. Ne deesset principum gratia, regiam, quâ summâ utebatur, ad nos transtulit. Ita deniquè in omnibus egit, ut, cum nos ad civium salutem utiles nosceret, perpetuos etiam, & felices, efficeret.

MEDICINAM tali apud nos fundatore, fautore, patre orbam, exanimem & perterritam, CAIVS sustinuit. Ut vestri ordinis dignitatem ornaret, insignia gentilitia obtinuit: ut augeret etiam, scriptis suis abundè prospexit: Cùm eo enim tempore vixerit, quo patriam sævissimâ peste languidam & oppressam lugeret, ità profectò civium salutis consuluit, regulas curationis tam justas, & ægrorum ubique rebus ità accommodatas, conscripsit, ut de artis suæ utilitate non ampliùs dubitaretur, cum eximiam conservatæ reipublicæ gloriam illi undiquè convalescentes attulerint.

PRAECLARA CADWALDI & LVMLEI nomina, non est, ut reticeam; cum ex cathedrâ chirurgicâ, quam in summâ spe posuerant, lucidum fidus HARVEIANA circulatio omnium oculos perstrinxerit. Quo te nomine (eximie HARVEII) quâ voce te salutem? Tu incultam, Tu tenebris obsitam, ex empiricis, peripateticis, chemicis principiis miserè miscellaneam, artem accepisti: Quod simplicem, claram, quod certam plerùmque scientiam nobis detur exercere, tuum agnoscimus. Quod ordinem modumque, quem in generatione animalium natura tenet, sedulò investigaveris, quod circularem sanguinis motum in tui temporis gloriam & perpetuam medicæ artis utilitatem detexeris, ingenio, industriæ, forsàn & tuæ cuidam felicitati debeatur; quod patrimonio te vivum exueris; quod opes tuas eo modo disposueris, quo ordinis hujus dignitati, & generis humani commodis, maximè inservires, summæ simul pietatis & prudentiæ exemplum ab omnibus existimabitur. Quid aliud enim sibi velint convivîa hæc, quàm ut tui nominis non oblitus ità quisque in suo se officio gerat, ut artis, quam
profite-

profitetur, vim & dignitatem pro virili promoveat? Quid aliud annua hæc majorum nostrorum commemoratio, quam ut, eorum virtutibus ob oculos positis, ad similem gloriam excitati ad paria etiam facinora aliquandò provocemur.

AT videte (Socii charissimi) quantum apud nos valeat HARVEII nomen. Cum quis incredibili undiquè eruditione & mirâ in arte suâ solertiâ ornatus, perpetuâ erga omnes benevolentia nostrum omnium amorem & reverentiam allexerit, si ambitiosius adhuc de se putet si præter modum suam apud nos gratiam augere velit, nihil reliquum invenit, nisi ut HARVEIO sacrum suo nomine marmor inscribat. At tuis tu virtutibus (vir eximie) paulò injustior, aliorum socordiæ & ignaviæ iniquus, forsàn videbere; cum tua tibi facta ad perpetuam famam sufficerent; nec postulet tuæ vitæ ratio, ut unicum, quod sordido cuivis prædiviti pate-ret, ad gloriam iter sollicitè præoccupares.

ⁿ SVO NOMINE MARMOR
INSCRIBAT.] RICHARDVS
MEAD regibus GEORGIO pri-
mo & secundo Medicus ordina-

rius, sui temporis decus & deli-
ciæ, HARVEII imaginem mar-
more exsculptam in Collegii
Medicorum cænaculo posuit.

QVOT

QVOT quantosque fructus ex tuis (HARVEII) laboribus (non nobis solummodo sed) humano generi attuleris, testantur undiquè, qui te duce (nec ex nostro tantum Lyceo) artem medicam scriptis suis exindè nobilitarunt. Quid WHARTONVM, quid GLISSONIVM, quid LOWERVM memorem? Cum quicquid aut de glandulis, aut de hepate, aut de corde scripserint, ut tuam paginam implerent, ut tuo nomini & tuis votis inservirent, effecerint. Si igne dirutas restituerit, si alieno ære oppressas has ædes absolverit HAMAEVS, si, quo libri comparentur, nummum HALAEVS dederit, an alias præclari huius viri sibi velint reddi gratias? An aliam sibi laudem exoptent? Quam quod, te duce, nostrum hunc ordinem, ut civium exindè commodis quam maximè prospicerent, conservatum, munitum, ornatum, voluerint?

Vos (Socii charissimi) non minor manet gloria, si, quam per sua vitia homines necessariam fecerunt, quam maiores nostri per eximias suas virtutes utilem reddiderunt, quam vestris laboribus mirè ornatam possidetis, artem prudentèr

dentèr, honeſtè, benevolè exerceatis: Cum nihil habeat veſtrûm vel fortuna majus, quàm ut poſſit, vel natura melius, quam ut velit, ci-
ves perituros conſervare. Hoc quò pleniùs, quò ornatùs efficiatis, det Deus Optimus Ma-
ximus, omnium ubique animalium creator idemque atque conſervator, ut indiès magis magiſque efflorefcant veſtræ virtutes: Et, ne ampliffimis deſit locus, *orandum eſt, ut à peſte, fame, bello, cæde, & à morte improvifâ ſuos liberet Dominus.*

F I N I S.



BOOKS Printed for, and Sold by T. WOODWARD
at the *Half-Moon* between the *Temple Gates*, *Fleet-*
street.

A Treatise of the Fossil, Vegetable, and Animal Substances that are made use of in Physick: Containing the History and Description of them, with an Account of their several Virtues and Preparations. To which is prefixed, An Enquiry into the constituent Principles of mixed Bodies, and the proper Methods of discovering the Nature of Medicines. By the late *Steph. Fr. Geoffroy M. D.* Chemical Professor in the Royal Garden, Member of the Royal Academy of Sciences, and Fellow of the Royal Society. Translated from a Manuscript Copy of the Author's Lectures, read at *Paris*; by *G. Douglas M. D.*

2. Statical Essays: Containing Vegetable Staticks, or an Account of some Statical Experiments on the Sap in Vegetables; being an Essay towards a Natural History of Vegetation. Of use to those who are curious in the Culture and Improvement of Gardening, &c. Also a Specimen of an Attempt to analyse the Air by a great Variety of Chymico-Statical Experiments, which were read at several Meetings before the Royal Society. Vol. I. By *Steph. Hales D.D.F.R.S.* Rector of *Faringdon* in *Hampshire* and Minister of *Teddington* in *Middlesex*. The Third Edition.

3. Statical Essays: Containing Hæmæstaticks, or an Account of some Hydraulick and Hydrostatical Experiments made on the Blood and Blood-vessels of Animals. Also an Account of some Experiments on Stones in the Kidneys and Bladder: With an Enquiry into the Nature of those anomalous Concretions. To which is added an Appendix, containing Observations and Experiments relating to several Subjects in the first Volume. The greatest Part of which were read at several Meetings before the Royal Society. With an Index to both Volumes. Vol. II. By *Steph. Hales D. D.*

4. The Mechanical Practice of Physick: In which the specific Method is examined and exploded and the *Bellinian* Hypothesis of Animal Secretion and Muscular Motion considered and refuted. With some Occasional Remarks and Scholia on *Lobb's* Treatise of the Small Pox, *Dr. Robinson* on the Animal Œconomy, and Professor *Boerhaave's* Account of Animal Spirits and Muscular Motion. By *Tho. Morgan M. D.*

